



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

## **Digitale Sammlungen**

**Num. 8. 1660.**

**1660**

Num. 8.

Continuation

Unterschiedlicher Extract-Schreiben  
Von Ihrer Röm. Kayserl. Mayestätt  
vnd anderen Europäischen Fürsten vnd Ständen  
1660.

Cum Privilegio Sac. Cæs. Majestatis.

**Kayserlich Schreiben/ an König in Hispanien / wegen**  
angenommener Mediation zum Nordischen Frieden vnd daß die Ketni-  
sche Allianz selbst für billig angesehen/ dem anfangenden Feind / als Schweden  
ist/ nichts wider zu geben/ biß Er gebührende caution vnd satisfaction leiste: da-  
bey auch des Pommerischen Vortrags Ehrenrührige Schmechewort / ganz mo-  
destè auff Kayserl. seithen refutirt, vnd zu bodem fallen: wenißers denselben im  
Reichs Protocoll anzunehmen / gleich wie man in Frankreich vnd Schweden  
dergleichen Ehrenrührige Memorialia gegen das Oberhaupt nicht  
annimt.

Leopoldus.

**D**iligenter, & diffuse nobis retulit Ser. Vestr. orator ad aulam  
Nostram Residens Marchio de la fuente, quo studio, & affectu  
eadem Ser. Vestr. se in restaurationem pacis non magis inter se &  
Regem Franciæ Christianissimum reconciliandæ, quam in toto  
Christiano orbe stabiliendæ, & assicurandæ, tum imprimis in eâ,  
quæ ad asserendas quoque in illâ rationes nostræ quietis, & securi-  
tatis pertinet, impendat, nec poterat sanè ad implendam plenè fiduci-  
am, de affectu erga nos Ser. Vestr. quidquam accidere iucundius,  
quam quod ab eodem vota & desideria æque totius Christianitatis, è  
tam diurnis & calamitosis bellis ad universalem & stabilem tran-  
quillitatem anhelantis, ac Nostra non secundari, sed præveniri vide-  
mus. Sicut igitur eò nomine Ser. Vestr. immortalis ab universis  
bonis debetur laus & gloria: Ita nos imprimis pro tam pio, sancto-  
que Zelo eidem immensas habemus gratias optime sperantes,  
quando quidem memoratus Christianissimus Rex eundem se  
H quo-

quoque scopum spectare tam sancte proficetur, jamque adeo communi inter Vestr. & modò dicti, Christianissimi Reg. Ser. consilio statutum est, eo sine inita opera per suos apud partes in Regionibus Borealibus belligerantes, eorumque omnes peræque fæderatos se interponere, fore, ut divina bonitas, optimam hanc intentionem suâ clementiâ fælicitet. *Nec est sanè, quod vel sapè dictus Rex Christianissimus vel quæquam alius, de Nostro in eundem finem studio dubitet, aut ullum de Nostros, & cæterorum fæderatorum operationibus bellicis in Pomeraniâ Sueciæ, sinistram opinionem concipiat, nam ut nil de eo dicamus, quod justè & necessariò Dilectio, & Maj. quondam Colend. Dn. Patris Nostri gloriosæ memoriæ (invita tamè, & tardè) postquàm nimirum sua ad restauratiõnem pacis, optimo animo oblata interpositio, locum apud Regem Sueciæ non invenit, vicino, amico, cognato, & fæderato Polonia Regi, contra pacta induciarum, inter se, & dictum Regem, Regnumque Sueciæ adhuc durantium, sed & Osnabrugensis fidem (cui ipse Polonus utrâque pacifcentium parte optante, & postulante inclusus erat) nullâ ex se datâ causâ cum si quid, quod urgatur, à Rege Fratre proximo Antecessore suo (durante bello Germanico) contra inducias commissum fuisset, id, vel morte ejusdem, vel amnistia Osnabrugensi oblitteratum esse, vel ex induciarum lege componi oportuerit; sed occasione nimirum, pro causa, ex afflictissimo Regni statu, arrepta, præcipitato bello, in superque post habitâ Imperatoris, & Imperii Authoritate, Polono ex ipsis Sac. R. Imperii Ditionibus invadi se conquerenti & ex antiquissimorum per manus traditorum fæderum pactis, auxilium sùagisanti succurrere statuerit: Tum etiam, quàm cautis, & moderatis, tametsi non necessariis legibus & limitibus, eum succursum definierit; demum, ut præterea-  
 mus etiam, postquam ejus bellum in nos recidit, quam non belli magis, quàm pacis promotionem, jam inde, ab ipso Regiminis Nostri exordio quaesierimus, id quod solemnis, jam à sesqui anno, eo sine in Poloni-  
 am cum requisitis adornata & missa Legatio abundè testatur; non viderimus sanè, quàm reprehensionem apud quemquam, nedum apud Christianissimum Regem habere debeat, quod Nos tandem, ad instantiam fæderatorum Nostrorum unâ cum iisdem, arma etiam nostra in Pomeraniam transtulerimus, & in eâdem hæctenus teneamus,*

C. 1770

sum tam idem Christianissimus, quam Suecia quoque Rex art. 2. ejus Col-  
ligationis (quæ 14 & 15. Augusti, anni proximè præteriti, per ipsos  
cum Nostris quibusdam, & Sacri Imperii Principibus, & Statibus  
inita, fuit) *haud illicitum sibi velint, si quis eorum in ditionibus suis in-  
vasus fuerit, etiamsi deinde invasor à vi desisterit, & ex invasæ Regioni-  
bus se receperit, eundem tamen in suis ditionibus persequi, nec inde nisi justâ satisfactione & cautione de non ulterius turbando  
acceptâ, recedere nõ teneri, præsertim cum arma Svecica, etiam pa-  
ce cum Rege Daniæ semel factâ, & ex parte ejusdem Dani executioni  
demandatâ, non reddere tamen Holsatica feuda Imperialia, sed no-  
vi inde belli fulcimentum sumi videremus.*

Nee difficiliter refelletur id, si quis querelari velit (sicuti Re-  
gios Suecicos Ministros conqueri intelligimus) quod vel in *Pleni-  
potentiâ, vel in Salvis-Conductibus nostris, cœtero quin à Nobis jam pri-  
dem ad formâ, ab ipsis Suecis approbatam expeditis, Ser. Regi Polonia  
etiam Titulus Regni Suecia attributus, vel mediatio etiam Regis Christia-  
nissimi, à Nobis acceptata non fuerit, cum de eo quod ratione for-  
mæ. quoad d. etum Titulum inter illis conventum erat, plane nihil Nobis  
tum constiterit, etsi quid in hac vel illâ omissum fuerit, de eò, jam  
ante multos menses, quando Instrumentorum nostrorum copia pu-  
blicè fuit edita, moneri potuerimus, vel debuerimus, cum non minus  
tunc, quàm nunc id, quod eâ ratione petitur, supplere parati  
semper fuerimus: recusandæ autem dictæ Mediationis Gallicæ  
complures & gravissimas tunc causas habuerimus; ac nec dici tamen  
possit, quod ex causâ modo dictæ recusatōnis nostræ ulla Tractatui  
morâ injecta sit. Quod verò in Salvis-Conductibus lacuna, sive  
*spatium vacuum, loco (quisquis ille tandem congressui Plenipo-  
tentiariorum constitutus fuisset) exprimendo relictum, indifferen-  
tiam potius, & promptitadinem Nostram ad promovendos Tractatus,*  
quàm id, quod *Adversarii volunt, demonstrat: Eiusdem etiam gene-  
ris est illud, quod ex subscriptione substituti Vice-Cancellarii Co-  
mitis de Wolckenstain obicitur, tunc nimirum inhabili, ob valetu-  
dinem, ad subscribendum Vice-Cancellario, eâ de causa expeditioni non  
nihil immutati Instrumenti adeoque promotiōni negotii tantope-  
rè nobis desideratines minimam quidem moram iniici voluerimus.**

Qui.

Quibus quidem omnibus, ita uti diximus, sese habentibus non minus quàm dictus Colend' ff Dn. Pater noster contestatus profususque semper fuit, & nos sincerè, constanterque contestamur, & profiteamur, *nec à Nobis quibuscumque viis aliud quærì quàm honestam & stabilem pacem, nec quidquam fieri optatius, quàm si hac pace septentrionali, ipsa Vniuersalis pax plenè compleri possit*, adeo ut quam gloriam sæpè dictus Colend' ff. Pater noster tractatibus Monasterienfibus, & postea usque ad pietissimum excessum suum tam avidè studioseque sectatus est, sed assequi non potuit, *ejus Nos partem (probatâ opere ipsos optimâ, voluntate nostrâ) vindicare Nobis possimus.* De quâ quidem voluntate nostrâ cum Ser. Vestr. probè constet, *gratum Nobis erit, ut quàm maximè, sic de eâ alios quoque, ac præcipuè Regis Christian. Ser. securam fecerit. Quod superest libenter videbimus, si Ser. Vestr. unâ cum supra memorato Christianissimo Rege negotium interpositionis prædictæ quantocius suscipiat, & ad optatum finem perducas, qui de cætero eidem Ser. Vestr. affectum beneuolum Nepotis, & fratris, quàm amantissimè conseruantes, eidem omnia ex animi voto evenire optamus* Viennæ 16. Decembr. Anno 1659.

Benedig den 13. dito.

Der groß Türck hat an Ihre Käyserl. Majest. den Paß auff 100000. Mann durch Carlstatt begehrt, neben Dalmattia zugleich das Friaul anzugreifffen / deswegen hiesige Herrschafft Neue Patenten vnd Gelt / Volck zu werben, herauß geben.

E N D E.